



CORNELIUS GEMMA MEDICINÆ PROFESSOR APVD LOUANIENSSES, Thaddæo Hagecio ab Hayck, Aulæ Cæsareæ Maiestat. Medico, S. D.

SE M E L iterumq; scriptas ad me misisti literas de theoria syderis noui: quarum utrasque accepi, vir clarissime, plenas profectò candoris, & summæ benevolentia erga me tuæ: eius verò doctrinæ, grauitatis atque elegantiæ, ut cùm meipsum intueor, mihi inde magis magisq; disþlicere incipiam, pudeatq; summopere illud crudum adeò & inconditum venisse in manus vestras: etiam à D. Fabricio tantæ obseruationis atque iudicij viro, inter $\omega\Delta\eta\pi\eta\sigma\epsilon\iota\varsigma$ alias ad unguem penitus explorari. Cùm enim id prius effunderē, nescio quis me velut correptum subito perculit furor, et si non tam ex afferendæ veritatis certa fiducia, quam tentandi studio atq; ardore inextricabili, quò pariter seruirem animo meo, eademq; opera peritiores cæteros ad huius spectaculi pulchritudinem admirandam velut à somno altissimo ocyus excitarem. Neq; velim hanc nostri in respondendo officij moram meæ vel negligentiae tribuas, vel rusticitati ingenij, velut in agnoscendis benemeritis tardi, ab excolandis amicitiis alieni. Noui te dudum ex viuis monumentis

Y